



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Art. 6. Solvuntur objectiones à Scriptura & Patribus petitæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

num cum capite suo redimendi, decrevit incarnationem, & Christi merita omnia, in primisque passionem ejus prædeterminavit.

6. Christum & ejus merita absolute prævidit.

7. Propter merita Christi absolute prævisa, absolute & efficaciter decrevit certum & definitum non solum formaliter, sed etiam materialiter hominum numerum à massa perditionis separare, tot scilicet determinat & in particulari homines ad gloriam eligendo, seu volendo absolute & efficaciter gloriam tot determinat & in particulari hominibus præ ceteris omnibus, quos idcirco in massa perditionis reliquit, non quod pro eo signo positive noluerit eos assequi gloriam, sed quod illis pro eo signo gloriam voluerit voluntate conditionata tantum.

8. Electos prædestinavit, hoc est, electis ex absoluta & efficaci voluntate salutis eorum in mente sua disposuit, & præordinavit media salutis efficacia, & cum ipsa salute certè & infallibiliter connexa; vel, si vis, electorum, quia elegit eos ad gloriam, justificationem & perseverantiam finalem, insuper & pro iis, qui non nisi post adultam æternam morituri erant, bona merita, hoc est, fidem & alia pietatis opera determinat & in particulari prædestinavit & præparavit.

9. Decrevit media illa exequi.

10. Absolute prævidit prædestinatorum ante adultam æternam morientium finem in statu gratiæ per baptismum vel martyrium acceptæ; item prædestinatorum post adultam æternam morientium bona merita cum perseverantia finali.

11. Parvulis gloriam ut hæreditatem, adultis etiam ut mercedem & coronam propter bona merita absolute prævisa decrevit, illisque decernendo præ aliis, quorum malam mortem prævidit, illos elegit ad gloriam electione illa, quæ remuneratoria est, & consequenter supponit in eo, qui eligitur, disparitatem & distantiam ab eo, qui rejicitur, hoc est, dignitatem in eo, qui eligitur, & indignitatem in eo, qui rejicitur.

## ARTICULUS VI.

*Solvuntur objectiones à Scriptura & Patribus petite.*

**O**bj. 1. Christus Math. c. 25. sic alloquitur electos: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis, &c.* Quibus verbis Christus significat regnum gloriæ electis præparatum ab æterno fuisse propter bona merita absolute prævisa. Ergo regnum gloriæ non fuit ab æterno præparatum electis gratis, & ante bonorum operum absolutam prævisionem. R. C. ant. & N. conseq. Nam regnum gloriæ fuit ab æterno præparatum electis ante & post absolutam prævisionem meritorum. Duplex igitur in Deo circa electos datur voluntas absoluta & efficax gloriæ. Prima pertinet ad ordinem intentionis, & de ea Christus Luc. cap. 12. loquitur, cum ait: *Nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Sic autem potest exprimi: Volo absolute & efficaciter, ut tales regnum gloriæ consequantur per merita. Secunda, de qua Christus loquitur Math. c. 25. verbis laudatis, pertinet ad ordinem executionis, & sic exprimi potest: Volo absolute & efficaciter regnum gloriæ talibus dare propter merita. Prima fertur in gloriam ut finem ab electis obtinendum per merita prædestinanda; vel, si vis, fertur in gloriam ut finem electis à Deo procurandum per bona ipsorum merita, quæ idcirco in instanti rationis subsequenti prædestinuntur, & præparantur à Deo. Secunda fertur in gloriam ut mercedem electis debitam, & retribuendam propter bona illorum merita jam prædestinata & absolute futura. Prima planè gratuita est, quia virtualiter prior est prioritate naturæ, quam prædestinatio bonorum operum, & à fortiori quam bonorum operum absoluta futuritio, eorumque absoluta prævisio. Secunda non est gratuita, sed remuneratoria; nam virtualiter

præsupponit absolutam futuritionem bonorum operum, eorumque prævisionem absolutam, à qua virtualiter caulatur. Prima, ut est voluntas dandi gloriam his præ illis, dicitur & est electio gratiæ. Secunda verò, ut est voluntas retribuendi gloriam his potius quam illis, dicitur & est electio debiti seu meriti, electio remuneratoria. Prima Deum determinat ad præparanda & prædestinanda bona merita in æternitate, eaque donanda in tempore cum perseverantia finali. Secunda determinat Deum ad dandam in tempore gloriam ut præmium & coronam propter bona merita, à se donata, & per finalem perseverantiam consummata. Ambæ autem ita sunt inter se connexæ, ut neutra possit esse sine altera. Prima enim absolute infert secundam, & hæc absolute præsupponit illam.

*Dices.* Christus eodem illo loco, quo dicit electis: *Venite benedicti Patris mei, &c.* simili verborum tenore dicit reprobis: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui parati estis diabolo, & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* At qui Christus sic loquendo, significat ignem æternum non fuisse præparatum reprobis, nisi propter mala merita. Ergo similiter cum ait electis, *Venite, &c.* significat gloriam illis non præparatam fuisse, nisi propter bona merita. R. Esto assumptum. Nam Christus hoc potius supponit, quam significat. N. conf. Disparitas est, quia 1. æquitas sententiæ, quam Christus fert contra reprobos, postulat ut supplicium ignis æterni non fuerit illis præparatum, nisi post absolutam demeritorum prævisionem, nec demerita illa fuerint à Deo prædestinata & præparata. Ad æquitatem verò sententiæ pro electis ferendæ, satis est, si gloriam re ipsa mereantur, eaque velut corona digni sint propter bona merita, & ita gloria non nisi propter bona merita absolute prævisa fuerit illis præparata tanquam merces & corona. 2. Deus præter voluntatem damnandi reprobos propter eorum demerita absolute prævisa, non potest habere aliam rationem priorem, qua velit eos incurrere damnationem æternam propter demerita à se prædestinanda & præparanda. Hæc enim voluntas cadere non potest in Deum, qui nihil eorum, quæ fecit, potest antecedenter odisse, quia summè bonus est, & nullum, nisi de suo merentem, poena afficere, quia summè justus est. At præter voluntatem dandi gloriam ut mercedem & coronam electis propter eorum bona merita absolute prævisa, potest etiam aliam habere rationem priorem, qua velit ut gloriam tanquam mercedem & coronam consequantur per bona merita à se prædestinanda & præparanda gratuito & misericorditer. Hæc enim voluntas Deum summè bonum & misericordem maxime decet, & nemini aliunde injuriola est: non ipsis electis, quos maximo beneficio afficit; nec reprobis, quibus non debetur, nec subtrahit media ad salutem assequendam idonea & sufficientia. Imò verò ex hypothese quòd sit in Deo voluntas dandi gloriam electis ut mercedem & coronam propter eorum bona merita absolute prævisa, non potest quoque non esse in eo alia virtualiter prior, qua gratuito & ex pura misericordia voluit ut electi mererentur gloriam per bona merita à se gratuito & misericorditer prædestinanda. Cum enim bona electorum merita sint etiam, nec possint non esse dona Dei, & ita bona merita, quibus gloria tanquam merces & corona retribuitur, nec habeant, nec habere possint electi, nisi donentur à Deo, neque donentur aut donari possint à Deo, nisi ab eo gratuito & misericorditer prædestinata fuerint: nihil enim Deus donat aut donare potest in tempore, nisi quod gratuito & misericorditer ab æterno disposuit & præparavit in sua prædestinatione, ut perpetuè docet S. Augustinus, & per se manifestum est: electi bona merita, quibus gloria ut merces & corona retribuetur, non sunt habituri, nec proinde habituros prævidit Deus, & ex tali prævisione gloriam ut mercedem & coronam illis præparat, nisi quia virtualiter prius gratuito & misericorditer voluit ut gloriam consequerentur per bona

bona merita, & ex hac voluntate gratuito & misericorditer bona merita, quibus consequerentur gloriam, prædestinavit.

*Dices.* Christus loco citato cum dicit: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare*, assignat totam causam discretionis electorum à reprobis. Ergo aperte significat Deum electis non voluisse gloriam absolute & efficaciter, nisi post absolutam meritorum prævisionem. *R. n. ant. Nota.* Duplex est causa discretionis electorum: primaria scilicet, quæ se tenet ex parte Dei; & secundaria, quæ se tenet ex parte ipsorum electorum. Primaria est propositum sive beneplacitum divinum, secundum quod hos, & non illos elegit Deus ad gloriam per merita obtinendam, atque his, & non illis, merita, quibus gloriam obtinerent, in sua prædestinatione præparavit. Secundaria causa sunt ipsa merita à Deo misericorditer præparata in æternitate, & donata in tempore. Dicuntur autem secundaria causa discretionis electorum, quia supponunt æternum Dei beneplacitum, sine quo non essent in æternitate prædestinata, nec proinde in tempore donata, & quo electi à reprobis primitus discernuntur. Jam verò Christus, loco citato, vel solum affert causam secundariam discretionis electorum, quia ibi tantum agit de remunerandis electis, vel fortasse potius affert utramque: quando enim Christus dicit electis: *Possidete paratum vobis regnum: esurivi enim, & dedistis, &c.* necesse non est, ut hæc verba, *Esurivi enim, & dedistis, &c.* referantur ad illud, *paratum*; & ad illud, *possidete*, referri possunt; & tunc verborum Christi sensus est: Regnum gloriæ, vobis à Patre meo misericorditer præparatum, ut obtinendum per bona opera, possidete, quia hæc & illa bona opera fecistis.

*At inquit.* Si ita esset, Christus minueret laudem & commendationem electorum, & justam reprobis præberet causam conquerendi. *R. n.* utrumque. Nam 1. Christus hoc pacto commendaret benignitatem & misericordiam divinam erga electos, nec minueret eorum laudabilitatem: bona enim electorum opera non sunt minus propria electorum merita ex eo, quod sunt Dei dona, ab ipso in æternitate electis præparata vi beneplaciti illius, quo eos præ cæteris misericorditer elegit ad gloriam: quia non sunt minus in libero voluntatis eorum arbitrio posita: cum non solum præparata fuerint, ut fiant, sed etiam ut cum expedita libertate fiant. 2. Reprobis expostulantibus de gratuita electorum dilectione & electione, facile respondebit Christus, ipsos pro loco & tempore accepisse media & auxilia gratiæ ad servandam legem divinam & salutem assequendam idonea, quibus uti voluerunt, & ita damnationem suam sibi, & non aliis, imputare debere: Patrem denique alios eligendo, jure suo usum esse: cum ex omnibus hominibus sub eodem peccato conclusis potuerit juxta placitum voluntatis sue, aliis præstare misericordiam, eos à massa perditionis separando, aliis verò non præstare, eos in massa illa derelinquendo: præsertim cum eos non deseruerit, & pro sua benignitate eis media subministravit & auxilia, quibuscumque, si voluissent, ex illa perditionis massa emerissent.

*Obj. 2.* S. Augustinus lib. 1. ad Simplicianum q. 2. negat gratuitam electionem ad gloriam. Imo expressè docet electioni repugnare, quod sit gratuita, & omnem electionem, in eo, quod eligitur, & alteri antepositur, supponere disparitatem vel veram, vel saltem apparentem, vi cuius eligitur, & antepositur alteri. *Quomodo, inquit, est iusta, aut qualiscumque omnino electio, ubi nulla distantia est? Si enim nullo merito electus est Jacob nondum natus, & nihil operatus, nec omnino eligi potuit, nulla existente differentia qua eligeretur... nulla ergo electio est, antequam esset quod eligeretur. Non itaque electus est (Jacob) ut fieret bonus, sed bonus factus eligi potuit... Non electio præcedit justificationem, sed electionem justificatio. Nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum est. Quia eligit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodo sit dictum, nisi præscientia. R. 1. S. Doctorem libros ad Simplicianum scripsisse initio Episcopatus sui, & cum nondum multa invenisset in materia prædestina-*

tionis, quæ postea senior & doctior factus, urgente præsertim Pelagiana heresi, investigavit & reperit. *R. itaque 2.* illum ista, quæ in lib. 1. ad Simpl. q. 2. scripserat minus accurate de electione, correxisse & emendasse postea in suis contra Pelagianos & eorum reliquias scriptis, ut patet ex lib. 5. contra Julianum c. 4. ubi sic ait: *Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo qui vocat ea que non sunt, tanquam sint, sed electi per electionem gratiæ.* Ex eodem lib. c. 3. *Nul- lum, inquit, elegit dignum, sed eligendo aliquid efficit dignum.* Ex lib. de prædestinat. Sanct. c. 17. *Eligit Deus fideles, sed ut sint, non quia jam erant... eligendo facit divites in fide, sicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod ut in eis faciat, eos elegit.* Et c. 18. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati... Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse, prædestinans ut tales per gratiam ejus essemus.* Ex epist. 105. ad Sixtum: *Qui sunt isti, qui respondeant Deo, quando quidem ille Rebecca habenti geminos ex uno concubitu Isaac nostri patris, cum illi nondum nati, nihil egissent boni vel mali, ut secundum electionem propositum ejus maneret, electionem scilicet gratiæ, non debiti, electionem qua eligendo facit ipse, non invenit, non ex operibus, sed ex vocante dicit, &c.* Ex epist. 106. ad Paulinum, ubi hæc habet: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur, ut secundum electionem Dei propositum maneret, non meritum hominis anteiret: non enim dicit electionem voluntatis humana, sive natura, cum par esset in utroque mortis damnationisque conditio; sed electionem proculdubio gratiæ, qua non invenit eligendos, sed facit, de qua... ait: Sic ergo & in hoc tempore reliquæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* Et ex lib. de corr. & grat. cap. 7. *Hæc omnia (fidem scilicet & perseverantiam finalem) operatur in eis, qui & vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratiæ... Ex istis nullus perit, quia omnes electi sunt... electi sunt autem ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Judas ad opus, cui congruebat... illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendam regnum suum, illum, &c.* Ex his autem videt clarè, Augustinum seniore & doctiorem effectum, longè aliter sensisse de proposito divino & electione divina, quam fenterat, cum juvenis esset, & ad Simplicianum scriberet. Augustinum autem seniore & doctiorem anteposendum esse juniori, & nondum in Scripturis & Traditionibus ita versato, quis potest ambigere? Alia responsio modo suggeretur.

*Dices.* S. Augustinus jam grandævus, citatam questionem lib. 2. retract. c. 1. retractat, & tamen nihil ex ea emendat, imò ibi eam laudat & commendat. Quod etiam facit lib. de præd. Sanct. c. 4. & lib. de bono perlev. cap. 20. & 21. ubi ad illam Massilienses remittit. *R. revera S. Doctorem locis illis dictam questionem commendare, quia, ut ait ipse lib. 2. retract. c. 1. in hujus questionis solutione laboratum est quidem pro libero arbitrio voluntatis humana, sed vicit Dei gratia.* Vicit autem Dei gratia, quia, ut idem S. Doctor dicit lib. de bono perlev. c. 21. ibi nihil remansit, quod vocetur in dubium, gratiam Dei non secundum merita nostra dari, & ibi satis egit, etiam initium fidei esse donum Dei, & ex his, quæ ibi dicta sunt, consequenter elucet, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum regnum & gloriam. Quod confirmatur ex his questionis dictæ verbis: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui secuti sunt vocationem... quia etiam si multos vocet, eorum tantum miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur... Numquid iniquitas est apud Deum, exigentem à quo placet, donantem cui placet: qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum?... Illud inconcussa fide teneatur, quod non sit iniquitas apud Deum, qui suos donet, sive exigat debi.*

debitum, nec ille, à quo exigat, potest de iniquitate eius conqueri, nec ille, cui donat, debet de suis meritis gloriari. Ex his autem nobis occurrit conjectura, quare S. Doctor nihil emendat ex dicta questione lib. 2. retract. c. 1. ubi eam recoluit; & simul nova suggeritur responsio ad objectionem factam. Nam ad id quod dicitur, S. Augustinum, cum ad Simplicianum scriberet, negasse gratuitam electionem ad gloriam, imò omnem gratuitam electionem repudiasse, R. distinguendo. Et hæc negabat eo quòd tunc non admitterer gratuitam prædestinationem, nec absolutam & efficacem voluntatem dandi gloriam iis, qui prædestinantur, prædestinatione virtualiter & logicè priorem, N. Et hæc negabat eo quòd tunc nolle gratuitam prædestinationem, & efficacem gloriæ voluntatem ipsa prædestinatione virtualiter & logicè priorem, venire nomine electionis, C. Duo itaque dico pro S. Doctore ad Simplicianum scribente. 1. Illum etiam tunc gratuitam prædestinationem, & virtualiter priorem voluntatem gloriæ absolutam & efficacem pro prædestinatis, agnovisse. Quod facile ostendo. Tunc enim agnovit omnia pietatis opera cum perseverantia finalis esse dona Dei. Ergo tunc agnovit Deum ab æterno gratis præparasse iis, qui salvantur, omnia pietatis opera & finalem perseverantiam: non enim ignorare potuit id, quod, ut ipse ait lib. de bono persever. c. 19. docti pariter & indocti consententur, nempe Deum sua dona ab æterno præscivisse & præparasse. Ergo tunc agnovit Deum ab æterno gratis voluisse efficaciter gloriam prædestinatis: quam enim ob causam dicemus illum tunc non vidisse hujus voluntatis evidentem cum gratuita perseverantiæ finalis præparatione connexionem? Agnovit igitur etiam tunc gratuitam prædestinationem, & prædestinationem priorem virtualiter & logicè voluntatem, qua Deus absolutè & efficaciter voluit gloriam prædestinatis, ratione prius quam eos prædestinaret. 2. Illum tunc noluisse prædestinationem & voluntatem gloriæ virtualiter priorem prædestinatione venire nomine electionis: hoc enim saltem concluditur ex eo quòd tunc gratuitam prædestinationem & voluntatem gloriæ virtualiter priorem agnoscens, omnem à Deo gratuitam electionem rejiceret. Rejiciebar autem, quia tunc sentiebat omnem electionem habere essentialiter causam eligendi ex parte illius, quod eligitur, & alteri anteponitur, & electionem non esse assumptionem unius alio relicto præcisè, sed assumptionem unius disparis & distantis ab eo quod relinquitur: unde sentiebat tunc omni electioni repugnare quòd sit gratuita. Itaque cum ad Simplicianum scriberet Augustinus, negabat omnem gratuitam in Deo electionem, non quòd minus rectè sentiret tunc de prædestinationis dogmate, aut de veritate aliqua cum hoc dogmate connexa; sed quia, quod fidei non interest, sed solum minus cum modo loquendi Scripturarum consentaneum est, minus rectè sentiebat circa notionem electionis. Quod postea correxit, nomine electionis in genere intelligendo actum, quo unum liberè assumitur, alio relicto; & duplicem distinguendo electionem, unam scilicet gratiæ, seu gratuitam, quæ non habet causam nisi ex parte eligentis; & alteram debiti, seu remuneratoriæ, quæ causam habet ex parte illius, quod eligitur, & alteri præferatur: unam, quæ non supponit, sed facit in eo, quod assumitur, disparitatem & distantiam ab eo quod rejicitur; & alteram, quæ non facit, sed supponit. Unde postea, cum scriberet contra Pelagianos & eorum reliquias, de proposito divino circa prædestinatos, & eorum electione, accuratius, & ad modum loquendi Apostoli accommodatius tractavit, nec tamen ex iis, quæ q. 2. lib. 1. ad Simplic. dixerat, quidquam in libris retract. emendandum esse judicavit, quia in dicta questione non contra fidem, aut aliquid cum fide connexum, sed solum in modo loquendi de re ad fidem pertinente peccavit, & violentè, non tamen erroneè, interpretatus est verba Apostoli de prædestinationis mysterio differentis; sed è contra quæ ad gratuitam prædestinationem attinent, quoad rem agnovit; & fundamenta, ex quibus manifestè deducitur, diligenter & accuratè

*Simonet Theol. Tom. I.*

profecutus est. Itaque S. Doctor cum ad Simplicianum scriberet, vel non nisi voce tenus repudiavit gratuitam prædestinationem electionem ad gloriam, nolendo electionis notionem cadere in voluntatem dandi gloriam prædestinatis, prædestinatione virtualiter priorem, quod dicit hæc secunda responsio; vel si etiam quoad rem repudiavit, postea senior & doctior effectus, sententiam mutavit, & quod junior senserat & dixerat, evidenter emendavit, quod dicit prima responsio. Nostra igitur de gratuita prædestinationum electione ad gloriam sententia S. Augustini auctoritate non oppugnatur; sed è contra validissimè propugnatur.

*Dices adhuc.* S. Augustinus, etiam senior & doctior effectus, non electionem prædestinationi, sed prædestinationem electioni præire docuit: sic enim loquitur lib. de bono persever. c. 22. *Si qui nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, qua electi velint esse, & sint.* Ad solutionem hujus instantiæ, nota. Secundum Augustinum, seniore & doctiore effectum, multiplex distinguenda est electio. Nam alia est æterna, alia temporanea. Æterna alia est gratuita, alia non gratuita. Non gratuita est ea, qua Deus post absolutam prævisionem finalis perseverantiæ prædestinationum, & finalis & impenitentis reprobatorum, prædestinatos præ reprobis ad gloriam ut mercedem & coronam eligit. Hæc electio, cum supponat præscientiam finalis perseverantiæ, quæ est effectus prædestinationis, non potest prædestinationem non supponere. Gratuita duplex est, una scilicet qua Deus his præ illis vult gloriam, ut obtinendam per merita à se prædefinenda; & altera, qua Deus his præ illis præparat seriem & ordinem mediorum, quibuscum certissimè ad gloriæ coronam perventuri sunt; vel, si vis, qua Deus his præ illis præparat fidem & alia pietatis opera cum perseverantia finali: quia autem præparat his præ illis eò quòd his præ illis vult efficaciter gloriam per merita à se prædefinenda consequendam, prima, quæ est electio ad gloriam, virtualiter præcedit secundam, quæ est prædestinatio, seu electio ad beneficia Dei, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur. Electio denique temporanea duplex est: una, quæ se tenet ex parte Dei, & altera, quæ se tenet ex parte prædestinati. Prima, quæ gratuita est, consistit in vocatione, quæ est secundum propositum, hoc est, in vocatione, qua Deus vocat prædestinatum, quomodo illi aptum est ut credat, eundem deinceps vocaturus, quomodo illi congruet, ut in fide, quæ per dilectionem operatur, usque in finem perseveret. Altera consistit in ipso actu, quo vocatus vocationem sequens & liberè credens, Deum eligit in tempore, à quo prius gratis electus est non solum per temporaneam electionem, sed etiam per æternam præparationem gloriæ & gratiæ. Porrò dixi superius, quæ gratuita est: nam electio temporanea, quæ se tenet ex parte Dei, rectè & commodè dividi potest in gratuitam & remuneratoriæ. Gratuita est vocatio secundum propositum, seu vocatio congrua, data ex proposito efficaci vocatum perducendi ad gloriam. Remuneratoriæ est ipsa gloriæ ut mercedis bonis meritis debita collatio. De hac autem utraque electione loco citato loquitur S. Augustinus; de temporanea se tenente ex parte prædestinati, lib. de præd. Sanct. cap. 17. cum ait: *Proculdubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum.* De æterna remuneratoriæ, item 7. de verbis Domini, ubi dicit: *Quos voluit Dominus, hos elegit. Elegit autem & secundum suam gratiam, & secundum illorum justitiam.* De æterna denique gratuita, ut est electio ad gloriam, lib. de corr. & grat. c. 7. & ut est electio ad media efficacia & cum affectione gloriæ connexa, in libris de prædest. Sanct. & de bono persever. aliisque passim contra Pelagianos scriptis.